Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

100

ab ea sit notitia sui quae se novit. quia notitia iam inventum est quod partum vel
repartum dicitur. quod saepe praecedit inquisitio eo fine quietura. nam inquisitio appetitus
est inveniendi quod idem valet si dicas reperiendi. Quae autem reperiuntur quasi pari
untur. unde proli similia sunt. Ubi nisi in ipsa notitia. Ibi enim quasi expressa
formantur. Nam et si iam erant res quas quaerendo invenimus notitia tamen ipsa non
erat quam sicut prolem nascentem deputamus. Porro appetitus ille qui est in quaeren *Nota solutionem*
do procedit a quaerente et pendet quodammodo neque requiescit fine quo intenditur
nisi id quod quaeritur inventum quaerenti copuletur. qui appetitus idest inquisitio quamvis
amor esse non videatur quo id quod notum est amatur hoc enim adhuc ut cognoscatur
agitur. tamen ex eodem genere quiddam est. Nam voluntas iam dici potest. quia omnis qui quaerit
invenire vult. Et si id quaeritur quod ad notitiam pertineat. omnis qui quaerit nosse
vult. Quod si ardenter atque instanter vult. studere dicitur. Quod maxime in
assequendis atque adipiscendis quibusque doctrinis dici solet. Partum ergo mentis *Nota solutionem.*
antecedit appetitus quidam quo id quod nosse volumus quaerendo et inveniendo
nascitur proles ipsa notitia. ac per hoc appetitus ille quo concipitur pariturque
notitia. partus et proles recte dici non potest. idemque appetitus quo inhiatur rei
cognoscendae. fit amor prius cognitae. dum tenet atque amplectitur placitam prolem
idest notitiam gignentique coniungit. Et est quaedam imago trinitatis. ipsa mens
et notitia eius quod est proles eius ac de seipsa verbum eius. et amor tertius. et haec
tria unum atque una substantia. Nec minor proles dum
tantam se novit mens quanta est. nec minor amor dum tantum se diligit
quantum novit et quanta est. Explicit liber nonus. Incipiunt capitula decimi. Ignorata res.
·I· De studiis discentium amantium quod ignorant. quod tamen non expeterent scire si penitus
·II· Quibus causis amari videantur incognita cum ipsa scientia eorum quae nesciuntur expetatur.
·III· An incognita sibi sit mens cum se quaerit ut noverit. ·IIII· De propriis mentis quae non potest ignorare.
·V· In quo mens nosse se debeat et a quibus abstinere ne in eis quasi propriis delectetur atque
·VI· In quibus mens de se cogitans possit errare. Ita se minus novit.